



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi  
Thomæ**

**Suárez, Francisco**

**Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621**

Index Capitvm Libri Primi De Trinitate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

# INDEX CAPITVM LIBRI PRIMI DE TRINITATE.

- Cap. 1. In Deum tam nomen, quam rationem Personæ verè, ac proprie conuenire.  
 Cap. 2. In Deo esse plures Personas.  
 Cap. 3. Quomodo ratio personæ communis sit tribus diuinis Personis.  
 Cap. 4. Personas non multiplicari in Deo, nisi per realem processionem.  
 Cap. 5. Processiones diuinas immediate per intellectum, & voluntatem esse.  
 Cap. 6. Personas produci intellectione, & amore.  
 Cap. 7. Qua intellectione, & quo amore personæ producantur.  
 Cap. 8. Sit ne actus principium quo productionis.  
 Cap. 9. De numero processionum.  
 Cap. 10. De numero personarum.  
 Cap. 11. De cognitione Trinitatis sine reuelatione.  
 Cap. 12. Quomodo cognoscatur Trinitas ex reuelatione.

## DE TRINITATE PERSONARVM, EARVMQUE PRO- CESSIONE, AN IN DEO SIT.

### Liber Primus.

**V**anuis scientia supponat subiectum suum esse, & hæc doctrina, quatenus rationem scientiæ participat, ex fide supponat Deum esse trinum, sicut est vnus: nihilominus propter hereticorum importunitatem necessarium est Theologis, veritatem hanc non tantum supponere, sed etiam per regulas fidei Catholice demonstrare. Tenentes igitur doctrinæ ordinem, quem promissimus, ostendemus prius Trinitatem in Deo esse. Quid autem sit, non potest in hac vita cognosci, tamen loco illius curabimus explicare mysterium, quantum fieri possit ex principijs reuelatis, tam in communi de personis, quam in particulari de singulis disputando. Ex quibus facile erit, & rationes contra hoc mysterium soluere, & proprietates, quas habuerit, intelligere. Causas autem non habet, cum pertineat ad substantiam ipsius primæ causæ. Nec etiam habet proprios effectus, quia Deus extra se nihil, vt trinus, sed vt vnus operatur, vt postea etiam dicemus. In hoc autem primo libro duo coniungimus, scilicet, esse in Deo personas, & processiones diuinas, quia ita inter se conexa sunt, vt vnus sine alterius existentia ostendi non possit. Diuus Thomas autem de processionibus tractat qu. 27. de Personis vero in 29. vsque ad 32. 1. p.

### CAPVT I.

*In Deum tam nomen, quam rationem personæ  
verè, & proprie conuenire.*

**D**e hac Catholica veritate posset quispiam dubitare, quia vel persona dicit perfectionem simpliciter, & absque imperfectione, vel non. Si illam non dicit, non potest Deo attribui secundum proprietatem Suarez: De Deo trinumo.

tem: nihil enim potest esse in Deo, quod omnino perfectum non sit: Si autem persona dicit talem perfectionem, pertinet ad naturam, & essentiam: omnis enim talis perfectio est de essentia Dei. Illud autem dici non potest, alioqui persona significabit in Deo essentiam Dei, & consequenter non poterit magis multiplicari in Deo persona, quam essentia. Ergo ratio personæ formaliter, & proprie non potest in Deo reperiri. In contrarium est totius Ecclesiæ vsus, & sensus.

Ad explicandam breuiter propositam veritatem, supponenda est ratio personæ tradita à Boetio libro de duabus naturis, & explicata à Diuo Thoma 1. part. questione vigesima nona, articulo primo. *Persona est rationalis natura indiuidua substantia.* Ex qua tria colligenda sunt circa hoc nomen, *persona*, & circæ per *Definitio per illud significatam.* Primum est, personam significare *sona* substantiam: In quo grauius errauit Laurentius Val libro sexto, Elegant. capit. 34. vbi multis rationibus contra Boetium contendit, personam non significare substantiam, sed qualitatem, quia vna, & eadem substantia plures dicitur gerere personas. Et inde infert, non magis in Deo esse personam, quam in brutis animantibus. Et fortasse ob hanc causam antiqui Orientales more latinorum timebant tres in Deo ponere personas, ne viderentur cum Sabellio tantum illas distinguere denominatione, aut qualitate, vt refert Gregorius Nazianzenus orat. 21. in Athanasium circa finem.

Errauit tamen grauius Valla, non solum in Theologia, sed etiam in sua facultate, nam ex vsu etiam latinorum constat, personam significare substantiam. Sic enim dixit Cicero, de Oratore, hominum esse innumerabiles personas, & alijs locis, frequenter ita loquitur, vt in Thefauro, & Nizolio videri potest. Iura etiam ciuilia, in quibus latina lingua pu-

G g